



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. VIII. An in causis & judiciis criminalibus Procurator admitti possit, ac  
debeat?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

nam subeundam) nisi postmodum se er-  
râsse deprehendat, si falsò putando reum  
esse criminis alterum, qui tamen non  
est; ita tamen, ut si semel ab accusando  
desistit, non audiatur amplius, si de eo-  
dem crimine reum accusare postmodum  
velit. c. Licet. 14. h. 1.

§. VII.

De personis, quæ criminaliter ac-  
cusari possint, vel non possint.

Generaliter loquendo, omnes delin-  
quentes, de criminibus quibuscun-  
que accusari possunt, tam liberi, quàm  
servi, sine sexûs differentia, tam pube-  
res, quàm impuberes, modò usum ra-  
tionis habeant ad delinquendum, nisi  
vel ratione absentia, vel ratione supre-  
mæ dignitatis, vel saltem ad tempus ac-  
cusari prohibeantur (bono publico ge-  
neraliter illam exigente) ita tamen,  
ut accusatus de aliquo crimine, & post-  
modum absolutus, non possit de eodem  
hoc crimine iterum accusari. c. De his  
6. h. 1, ne semper in periculo versetur suæ  
innocentiæ impugnandæ accusatus, &  
absolutus, nisi tantùm ab observatione  
iudicii absolutus fuisset, propter inepti-  
tudinem libelli, aut illegitimum accusa-  
torem, quo in casu alius accusator ad-  
mittitur; prout etiam admittitur alius  
accusator de eodem crimine, si probave-  
rit primum cum accusato collusisse, &  
sic absolutionem obtentam fuisse; aut si  
suam, suorumque injuriam prosequatur  
secundus accusator, & probet, saltem  
per juramentum primam accusationem  
se ignorasse; vel si criminaliter ad vin-  
dictam publicam agat secundus accusa-  
tor, cum primus tantùm civiliter ad

proprium interesse egerit, &c. plures ca-  
sus videri possunt apud Auctorem h. §.

§. VIII.

An in causis & judiciis criminali-  
bus Procurator admitti possit, ac  
debeat?

Regulariter non admittitur Procura-  
tor, si criminaliter agatur, ad accu-  
sandum (quamvis enim pœna talionis  
in accusatore deficiente hodie non sit in  
usu, puniti tamen potest juxta arbitrium  
iudicis, accusator calumnians aut defi-  
ciens) imò nec ad defendendum ad-  
mittitur, can. 2. can. 5. q. 3. & c. Veniens  
15. junctâ Glossâ V. criminalib. 1. si aga-  
tur ad pœnam capitalem vel aliam cor-  
poralem, quam reus, si de crimine con-  
demnetur, subire debet, ne iudicium  
tale reddatur elusorium. Ad excusandam  
tamen principalis absentiam, & dilato-  
rias exceptiones opponendas, quæ ante  
litis contestationem proponuntur, ad-  
mitti potest, ut ex c. c. Veniens colligitur.  
Prout etiam admitti potest in causis cri-  
minalibus, in quibus non infligenda ve-  
nit pœna corporalis, sed pecuniaria, re-  
legationis, incarcerationis, aut alia similis;  
vel si ob impossibilitatem facti, aut juris  
impedimentum, reus principalis per se  
comparere coram Iudice non potest.  
Videantur alii casus apud Auctorem h. §.

§. IX.

De modo procedendi observando  
in iudicio criminali accusatorio.

Si utraque pars tam accusator, quàm  
reus, sit præsens in iudicio, eodem  
modo proceditur in causa criminali,  
quomodo in Civili, nisi quòd in libellis

